Quelle: https://manuscripta.at/?ID=416
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

petrus. domine tu mihi lavas pedes. usque ad
id quod dictum est. qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet. sed
mundus est totus.

CUM LAVISSET iesus pedes
discipulorum suorum. venit ad
symonem petrum. Et dicit ei pe
trus. Domine. tu mihi lavas pe
des. Quis enim non expavesceret la
vari sibi pedes a dei filio. Quamvis itaque mag
ne fuisse audacie contradicere servum domino. ho
minem deo. tamen petrus hoc facere maluit
quam perpeti. ut sibi pedes lavarentur a domino deo.
Hec putare debemus hoc petrum inter ceteros
formidasse atque recusare. cum ad id alii
ante ipsum libenter vel equanimiter sibi
fieri permisissent. facilius quippe sic accipiun
tur ista verba evangelii. quia cum dictum esset. cepit
lavare pedes discipulorum et extergere linteo
quo erat precinctus. deinde subiunctum est.
venit ergo ad symonem petrum. quasi aliquos
iam lavisset. et post eos venisset ad petrum. Quis
enim nesciat primum apostolorum esse beatissimum
petrum. Sed non ita intelligendum est quod post ali
quos ad illum venerit. sed quod ab illo cepit. Quando ergo
pedes discipulorum lavare cepit. venit ad
eum a quo cepit. id est ad petrum. et tunc petrus quod et quali
bet eorum expavisset expavit atque ait. Domine.
tu mihi lavas pedes. Tu mihi. Quid est tu. Quid est
mihi. Cogitanda sunt potius quam dicenda. ne
forte quod ex his verbis aliquatenus dignum conce
pit anima. non explicet lingua. Sed respondit
iesus et dixit ei. Quod ego facio tu nescis modo.
scies autem postea. Nec tamen ille dominici fac
ti altitudine exterritus permittit fieri quod
cur fieret ignorabat. sed usque ad suos pe
des humilem christum adhuc non vult videre.
non potest sustinere. Non lavabis inquit mihi
pedes in eternum. Quid est in eternum. Numquam
hoc feram. numquam hoc patiar. numquam sinam.
Hoc quippe in eternum non fit. quod numquam fit. Tunc
salvator egrum reluctantem de ipsius
salutis periculo exterrens. si non lavero te
inquit. non habebis partem mecum. Ita dic
tum est si non lavero te cum de solis pedibus age
retur. quemadmodum dici assolet calcas me cum
sola planta calcatur. At ille amore et
timore turbatus. et plus expavescens
christum sibi negari quam usque ad suos pedes
humiliari. domine ait non tantum pedes
meos. sed et manus et caput. Quandoquidem sic mi
naris. lavandi tibi mea membra non solum
ima non subtraho verum et prima subster
no. ne mihi neges capiendam tecum partem.
nullam tibi nego mei abluendam corporis
partem. Dicit ei iesus. Qui lotus est non habet opus
nisi pedes lavare. sed est mundus totus.
Hic moveatur quis fortasse et dicat. Immo
si mundus est totus. quid ei opus est vel pedes la
vare. Dominus autem noverat quod dicebat. et
si nostra infirmitas eius secreta non penetrat.
Verumtamen quantum nos erudire et ex lege
sua docere dignatur. pro captu meo pro mo
dulo meo aliquid et ego debui questi
onis profunditate illo adiuvante re